Tłuszczewski Andreae: Quaestio logica de distinctione unitatis formalis a numerica

QVÆSTIO LOGICA,

DE

Diſtinctione Vnitatis Formalis à Numerica.

V. Vnitas Formalis data à parte rei in natura, præter Vnitatem numericam: in ſtatu (vt vocant ſolitario) negatiuè; in præciſionis vel vniuerſalitatis determinatè & poſitiuè communis, in indiuiduis ad rationem naturæ ſingularizatæ, multiplicata exiſtens, ſola ratione ratiocinata diſtinguatur à numerica nec ne?

CONCLVSIO I.

PRæter vnitatem numericam, neceſſum eſt dari formalem ſpecificam, & Genericam, minorem ac minorem, iuxta latitudinem graduum in natura.

COROLLARIA.

I. Vnitas materialis eſt carentia diuiſionis materialis: & vnitas formalis, eſt Entitas carens diuiſione formali.

II. Carentia diuiſionis tantò maior eſt, quantò minus relinquitur in Subiecto de forma, quâ priuat.

III. Vnitas formalis penes numericam, est materia vniuersalis saltim remota.

IV. Vnitas numerica nil relinquit de diuisione in natura estq; maxima; & dicitur simpliciter vnum; Formalis verò minor, & Secundum quid.

V. Quia desumitur à forma dicitur formalis, causaturq; per principia formalia, nec a parte rei est à singularibus separata.

CONCLVSIO II.

DAtur vnitas formalis in statu (vt vocant) naturæ solitario, communis negatiuè.

COROLLARIA.

I. In hac attenduntur tantùm prædicata intrinseca, & propria eius ratio, estq; vna definitione.

II. Tunc est vnitas formalis negatiuè communis; quando natura est indifferens, ad vniuersalitatem & particularitatem.

III. Natura secundum se, non habet negationem diuisionis ex omni parte; sed solùm quantùm est ex principijs formalibus.

IV In natura aliud est res quæ prædicatur; aliud Conditio seu status vt prædicetur.

V. Negatio indiuisionis quæ in se non est vna, quomodo potest naturam talem reddere simpliciter vnam.

CONCLVSIO III.

IN statu præcisionis, natura habet rationem vnitatis formalis determinatæ & positiuæ.

COROLLARIA.

I. Mediante per intellectum vnitate in natura, omnia supposita in eam conueniunt.

II. Na-

II. *Natura vniuersalis inquantùm est in anima, est vna numero scilicet concepta ad modum vnitatis positiuæ, ac si esset vna numero.*

III. *Si sic existeret, à parte rei vt concipitur (sicut Plato dicebat) à parte rei haberet vnitatem positiuam essetq́ Platonica.*

IV. *Eius vnitas fundamentum habet à parte rei, propter conuenientiam & similitudinem inferiorum, in vna aliqua ratione.*

V. *Conceptus sic vniformis repræsentat vnam rationem in qua conueniunt inferiora directè, ipsa verò indiuidua materialiter & mediatè.*

CONCLVSIO IV.

Vnitas formalis dum natura redditur ad singularia cõtracta, manet multiplicata cum ipsa natura.

COROLLARIA.

I. *Hîc vnitas formalis, quantùm ad realem Entitatem est ipsa natura; vnde multiplicata hac, multiplicatur & vnitas.*

II. *Vnitas formalis est Passio naturæ.*

III. *Natura singularizata habet vnitatem formalem specificam & genericam latiorem pro numero graduum essentialium.*

IV. *Omnes gradus naturæ, sunt quasi partes vnius integræ essentiæ, integraturq́ ex vnitatibus formalibus vna vnitas completa, distincta ratione ab vnitate numerali.*

V. *Loquendo de natura, in statu contractionis, vnitas formalis non est communis negatiuè.*

CONCLVSIO V.

Vnitas formalis in Indiuiduis, à numerica sola ratione ratiocinata distinguitur.

COROLLARIA.

I. *Prout Indiuiduatio non addit supra naturam aliquid, à parte rei distinctum; ita & vnitas formalis.*

II. *Neq; genus posset per se prædicari de Specie, neq; species de Indiuiduo: si genus distingueretur realiter, à differentia specifica; aut species à differentia numerica.*

III. *Maneat ergò differentiam indiuidualem, & naturam non distingui realiter, neq; vnitates inde consurgentes.*

IV. *Si vnitas formalis distingueretur formaliter ab vnitate numerica, natura indiuidua haberet vnitatem positiuè communem.*

V. *Negatio quam importat vnitas numerica, distinguitur realiter negatiuè, à negatione quam importat vnitas formalis.*

Permissu

Perillustris, Magnifici, & Admodum Reuerendi Domini,

D. LAVRENTII KARYNSKI,

I. Vtriusq; Doctoris, Canonici Cracouiensis,

Studii Generalis,

VIGILANTISSIMI RECTORIS.

A

M. Andrea Tłuszczewski In Alma Academia Cracouiensi publicè ad disputandum proposita.

Anno Domini 1 6 5 3. Mense Martio. Die 29 Horâ. 12.